



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. II. Quid & quotuplex sit Sacrilegium?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

tativa tentatio Dei. Uti etiam sunt eæ probationes, quæ fiunt per ferrum candens, aquam ferventem vel frigidam, &c. de quibus *v. Binsfeld. & Delrio l. 4. disp.* Licet enim Deus aliquando tales purgationes miraculosè probarit, id contingit, vel quia Deo inspirante factæ sunt, vel quia innocentes ad eas compulsi sunt liberati. *Ban. d. 3. q. 9. p. 1.*

DUBIUM II.

Quid, & quotuplex sit Sacrilegium?

Resp. Sacrilegium, est violatio rei sacræ, hoc est, dicatæ cultui divino; & peccatum mortale ex genere suo, si opus specialiter repugnet cum rei sanctitate; nõ verò, si generaliter tantũ repugnet, quomodo omnia peccata mortalia generaliter repugnât sanctitati, v. g. templi, ita ut ibi cū veniali peccato committantur. Est autem Sacrilegium triplex: Personale, quo persona; Locale, quo locus; & Reale, quo res aliæ violantur. *S. Thom. 2. 2. q. 99. a. 3. & ceteri Theologi.* Unde resolves,

I. Personale sacrilegium est percussio Clerici, pertractio ejusdem ad iudicium sæculare; item luxuriosa violatio personæ Deo per votũ castitatis sacratæ de qua *v. infrat. 4. c. 2. de 6. prac. dub. 2.*

II. Locale sacrilegium est omnis actus, quo Ecclesia polluitur ut est v. g. occisio hominis, effusio humani sanguinis, vel seminis, illicita & notoria, sepultura excommunicati, vel non baptizati: item si actus quidam profani fiant in Ecclesia, & repugnâtes, ejus immutati; ut si negotiationes, illiciti concubitus, & spurcities seditiones, concilia sæcularia, stabulationes equorum, incendia effra-

effractiones, spoliationes. Item si materia rei sacrae vel Ecclesiae, directè ad profanos usus convertatur: si reus ex Ecclesia velut asylo extrahatur, (nisi tamè sit latro publicus, vel nocturnus populator agrorum, vel enorme maleficio fiducia asyli istic commiserit.) Denique, si furto auferantur res Ecclesiae, aut ibi depositae. *Laym. c. 7. Bon. q. 6.* Si verò res ablata fuerit per accidens tantum in Ecclesia, v. g. crumena viri divitis, probabiliter non committi sacrilegium, docet *Dian. p. 1. t. 7. R. 27. ex Fagund. & sex aliis, contra Suar. Laym. & c.*

III. Reale sacrilegium est indigna tractatio & administratio Sacramentorum; ut si ministrentur, vel suscipiantur cum peccato mortali. Item profanatio vasorum & instrumentorum sacrorum. v. g. si quis calice utatur in convivio; ornamenta altarium vel Sacerdotum ad usus profanos applicet: intellige de iis, quae consecrari, vel saltem benedici solent: nam ad nuptias, vel communem usum adhibere tapetes, candelabra, pelvim, imò & manutergium, & cetera, quae mediè serviunt ministerio sacro, non esse peccatum, docet *Tambur. expedit. sacrif. l. 1. cap. 2.* nisi fiat ex aliquo contemptu saltem implicito, ut si semper, & indifferenter sic utaris supradictis. Atque idem affirmat de candelis, ramis, aqua, incenso, & similibus benedictis: quòd in modicis istis benedictionibus nò agatur cū tãto rigore ab Ecclesia, ut patet in pane, ligno, carbonibus, &c. benedictis. *v. l. c. §. 3.* Item violatio, vel indigna tractatio sacrarum imaginũ & reliquiarum. Item abusus Scripturae sacrae, v. g. ad stabiliedas haereses, vel res tur-

F pes.

pes. Item raptura bonorum Ecclesiæ, suppressio
priorum legatorum, vel iurium Ecclesiæ defraus-
datio, &c. *v. Fill. tr. 24. cap. 9. Regim. lib. 19. n. 57.*
Suar.

IV. Peccatur etiam Sacrilegio peccato omni-
sionis, v. gr. si quæ ad sacrificium spectant, ut cor-
poralia & similia, sint valdè immunda. *Bon.*
Euch.

V. In confessione exprimenda est species & ma-
teria sacrilegii. Ratio prioris, quia sæpè diversam
malitiam habet; v. g. percussio Sacerdotis, & for-
nicatio cum eodem. Ratio posterioris, quia et-
iam aliquando auget, & addit malitiam; v. g. si sit
contra Eucharistiam, addit secundùm *Gordanus*
communi violationi rei sacræ aliud peccatum
contra latrariam. Attingere autem nuda manu ca-
lices, patenas, aras, agnos cereos, &c. chrismate
delibuta, non licet sceminis & laicis. Citra con-
temptum tamen non est mortale, si vacua sint, &
si causa subsit, nec veniale. *Suar. Tambur. l. c. §. 1.*
ne causa autem, veniale esse docet, *Suar. Cón. Ep.*
communiter: licet *Tamb. l. c. ex Sa. & c.* contrarium
censeat probabile: uti & si corporalia, vel purifi-
catoria laventur ab iisdem. *v. §. 2.* Cætera au-
tem, quæ Eucharistiam immediatè non contan-
gunt, nec chrismate unguuntur, ut mappas, vestes
Sacerdotales, immediatè contingere omnibus
licet, *Suar. Laym. Tamb. l. c.* ubi ex *Palao, & c.* idem
concedit de reliquiis: sic ut etiam, ut easdè rhe-
clusas penes se habeant, vel laici in publicis
processionibus gestent. Idem docet cum *Laym.*
de pixide sive ciborio, & Lunula benedictis, quæ

do fa-
de ce-
post-
etian-

R
tual-
a. i. l.
men-
tract-
sive
mon-
vel e-
quia
dini-
quis
gat.
stur-
cap.
sit n-
patr-
3. spi-
tura
lis, u-
ter,
mer-

do sacram Eucharistiam non continuerunt. Item de corporalibus, pallis & purificatoriis, quando post sacrum usum lota sunt, ex Laym & Bon. imò etiam ante lotionem, Laym. Tamb. l.c.

DUBIUM III.

De Simonia.

ARTICULUS I.

Quid sit, & quatuorplex?

Resp. Simonia, est studiosa voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum. *D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 1. Laym. l. 1. tr. 10. c. 8. & c.* Dicitur 1. voluntas emendi, &c. quibus verbis intelligitur quivis contractus onerosus, sive venditionis, sive locationis, sive permutationis; aut renunciationis; quia simonia non consistit sine pactione aliqua tacita, vel expressa, & obligatione ex pacto. Quod addo, quia obligatio naturalis quæcunque, ut gratitudinis, sive anctoralis, non sufficit; v.g. quando quis sperat vel intendit tantum, non tamen obligat. *Sa V. Simonia.* Ratio, quia non facit contractum. *vid. Bonac. de Simon. a. 1. q. 6. p. 1. Less. lib. 2. cap. 35. d. 20.* Dicitur 2. pretio temporali, sive illud sit muneris, sive linguæ, ut est laus, vituperium, patrocinium, sive obsequii, & famulatus. Dicitur 3. spirituale, quo nomine intelligitur res supernaturalis ad salutem ordinata, sive sit formaliter talis, ut gratia & dona Spiritus Sancti, sive causaliter, ut sunt Sacramenta, concilio, preces, & sacramentalia; sive sit effectus & usus potestatis super-